



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

176. Quidam expleto anno novitiatus fuit à Capitulo Monasterii admissus ad professionem, quam ex levissima causa distulit emittere ad sex menses, sed postea emissa quæsit à me, an fuerit valida? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

bertas, quam Novitius habet exeundi absque causa, compensatur per hoc, quod ipse etiam anticipata quasi solutione plus contulit ex parte sua ingrediendo Religionem cum periculo subeundi non mediocrem notam, si cum causa (pro-ut sæpè fit) dimitteretur, cui periculo Religio non se exposuit, quia siue retineat, quia bonus est, siue dimittat, quia minus est aptus, nullum damnum subit: plus ergo fecit Novitius intrando, quam Religio eum recipiendo; atque idè non mirum, quod plus libertatis retineat ad exeundum quam Religio ad dimittendum; quia Religio obligata manet ratione illius, quod accepit à Novitio, hic autem non accepit adhuc aliquid à Religione, ob quod debeat ex iustitia obligari ad perseverandum. Ergo, &c. Et nostram sententiam præter Cardinalem Lugo, contra amicissimum Caramuelem tenet etiam Sanctiorius in *constitut. Minor. c. 2. stat. 20. quest. 4.* vbi doctè nostram sententiam firmat, & citat Lezanam, Peyrinum, & alios.

RESOL. CLXXV.

An aliquis dubitans, si Monasterio expediat admittere Novitium ad professionem, possit illum reprobare? Et an in tali casu dubitans astringatur ad veritatem inquirendam, antequam suffragium ferat? Ex p. 10. tr. 1. 2. & Misc. 2. Ref. 44.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Caramuel in *Theol. Reg. cap. 60. numer. 470.* quia in dubiis debet præcedere maior obligatio, atqui erga Communitatem magis obligamur, quam erga Novitium: ergo debemus non exponere Communitatem periculo habendi vnum hominem disconuenientem. Minor est certa: quia Communitati debemus quidquid politicè sumus, & eam habemus loco matris, Novitio autem nihil debemus. Qui in dubio Novitium approbat, est sui Monasterij degener filius. Quomodo enim pius est ille filius, qui vltro suum Patrem ruinæ periculo exponit, cum possit illud auertere? Monasterium exponitur ruinæ, quoties discolor, & effrænalis aliquis iuuenis admittitur ad Professionem: vnus sufficit, vt turbentur plurimi, vnus vt pax occidat, & iurgia pessima nascantur. Non admittatur igitur ille, de quo dubitamus an Monasterio scandalo futurus sit. Cur prima die Novitius non admittatur ad Professionem? idè profectò, quia ante probationem non scimus vtrum expediat, an non. Ergo si id post annum nondum sciamus: vel in Novitiatu remaneat, quo vsque dubium decidatur, vel saltem dimittatur; iniurius enim & suo Monasterio, & sibi ille est, qui illum Religioni incorporat, qui turbaturus est totam Communitatem. Dixi, quod in Novitiatu maneat, quoniam Tridentinum Concilium, aliæque quæ iubent Novitios post annum, aut admitti, aut dimitti, supponunt nulla dubia dari: hæc enim non resolutionem postulant, sed examen, quod sine tempore fieri non potest. Sanè de Novitiis sæculares Doctores sæpè scribunt, sed cæcè: non enim sciunt quantum damni pati soleat Communitas ab vnus insolentia. Ergo sicut dubitans vtrum sit venenum in scypho, non bibes; sic à fortiori non admittes illum, de quo dubitas. Si dimittitur, nemini fit iniuria, & remanet securum Monasterium: in admissione esse poterunt inconuenientia. Ita Caramuel.

2. Sed nouissimè aduersus illum insurgit Pater Bardi, de *Conscien. disc. 6. capite 9. §. 38. numero 2.* asserens, non posse absque iniustitia à Religioso solum dubitante de habilitate Novitij fieri suffragium, per quod positivè reprobet Novitium illum, ne ad

Professionem admittatur. Probatur, quia suffragium continens mendacium grauius perniciosum contra eum de quo agitur absque iniustitia fieri non potest: at tale est suffragium, per quod Religiosus dubitans de habilitate Novitij, illum à Professione positivè reprobatur: ergo absque iniustitia fieri non potest: sola minor probatione indiget: maior enim, & consequentia sunt ex se manifestæ: probatur autem minor. Si suffragium reprobatum, ne quis obidiam dignitatem aliquam, gradum, &c. importat in eo, qui ipsum suffragium dat, iudicium, per quod iudicetur in persona reprobata reprobari defectum, seu impedimentum prohibens promotionem ad dignitatem, gradum, &c. Et hoc patet ex terminis. At in casu nostro suffragium illud contineret tale mendacium: ergo &c. Patet maior: minor autem huius vltimi argumenti offenditur, quia vt supponimus Religiosus ferens suffragium, non habet tale iudicium, cum supponatur solum dubitare de habilitate Novitij; igitur si fert si suffragium reprobatum contra Novitium, de cuius idoneitate ambigit, ferret suffragium continens mendacium grauius perniciosum contra Novitium illum, de quo agitur.

3. Nota tamen, quod in tali casu dubitans astringitur ad veritatem inquirendam, antequam suffragium ferat, & ita debet diligenter investigare conditiones, & qualitates illius Novitij, quæ sunt materia, de qua dandum est suffragium, & suspendere interim sententiam, ne temerè profertur, vel denique si tempus id non permittat, debet Religiosus sub dubio, siue in scriptis siue in voce proprium sensum alius, qui suffragantur, aut Superiorum cum sinceritate manifestare.

Sed ego quinam sententiæ magis adhareream, in hac quæstione non explanabo, cum inter se videam discordes duos viros doctissimos, & amicissimos; solum asseram vtramque sententiam esse probabilem.

RESOL. CLXXVI.

Quidam expleto anno Novitiatus sui à Capitulo Monasterij admissus ad professionem, quam ex leuissima causa distulit emitte ad sex menses, sed postea causa quæsiuit à me, an fuerit valida?

Et notatur, quod post annum probationis expletum licet Superiori differre professionem Novitij ob istam causam, non obstante Concilij Tridentini Decreto.

Et quid in supradicto casu de Monialibus? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 128.

§. 1. **V**idebatur ob stare Concilium Tridentinum, sess. 25. cap. 16. de *Regul.* vbi præcipitur, quod finito anno probationis Novitius statim ad professionem admittatur, aut expellatur.

2. Sed de hoc casu, vt dixi, interrogatus dictam professionem fuisse validam respondi: primo, quia Concilium ibi præcipit tantum, vt professio emittatur post annum probationis, sed illam non annullat, si efficiatur post dictum tempus, ergo, &c. Addo quod, vt rectè docet nouissimè Cætrus Palus in *opere morali, tom. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 9. num. 8.* Suarez de *legib. lib. 5. cap. 15. num. 10.* & alij, quando statutum mandat fieri aliquid certo tempore, vt est in casu nostro, actus contra factus non est nullus, quia tunc non intelligitur circumstantia temporis, vt forma apposita & ideo circa validitatem supradictæ professionis etiam affirmativè responderunt aliqui Theologi Societatis Iesv, & nostræ Religionis de hoc casu tunc interrogati.

Notandum est tamen hic obiter, quod post annum probationis expletum, licet Superiori differre professionem Nouitij ob iustam causam, non obstante dicto decreto Concilij Trident. vbi supra; nam Concilio Cardinalium auctoritate Pij V. declarauit gregario Cardinalium auctoritate Pij V. declarauit profatum decretum Concilij tantum procedere in Nouitijs, qui elapso anno Nouitatus habiles inuenti fuerint, non vero in inhabilibus, quorum profectio vique ad sex menses potest prolongari, dummodo intra id temporis spes habeatur, quod efficiuntur habiles; sed in Monialibus diutius licet professionem differre. Ita Hieronymus Rodriguez in compen. 99. Regul. resol. 101. num. 62. & nouissimè Aloysius Riccius in praxi, tom. 4. resol. 254.

RESOL. CLXXVII.

An recipere possit professionem solemnem simplex Religiosus de licentia tamen sui Superioris? Et an etiam de licentia sui Superioris possit non solum Episcopus, sed etiam aliquis Clericus, imo & laicus recipere professionem? Ex p. 3. tract. 2. Ref. 70.

§. 1. DE hoc casu his diebus interrogatus fui, & prima facie videtur respondendum quod non, per verba Ioannis Valeri in differ. vir. fori. ver. Regularis, differ. 4. n. 5. vbi sic ait. Potest incorporare profectum in Monasterio, vel Prælatus Monasterij, vel alius Prælatus de proprijs Prælati licentia. Ita ille, licet loquatur in ordine ad forum externum.

2. Sed ego tunc affirmatiuam sententiam docui per ea, quæ allerit Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit. disp. 12. dub. 1. n. 13. Cuchus in instit. lib. 3. tit. 1. de Regul. n. 54. & doctissimus Villalobos in sum. tom. 2. tract. 35. diffie. 20. num. 5. vbi ita ait. La profectio se ha de hazer en manos del Prelado de la Religion, que es el que puede con el conuento recebirle, y assi no bastaria, que profectusse en manos del Obispo del lugar, si no es en los conuentos, que estan sujetos a el. Mas podria hazer de mandato del Prelado, no solo el Obispo, pero tambien vn Clerigo, y aun lego. Sic ille, qui etiam plus addit n. 6. ita asserens. Mas si succedesse que algun frayle recebiesse vn nouicio a la profectio en nombre del Prelado, sin tener mandato del para esso, en tal caso, si sabiendolo el Prelado lo tuuiere por bien, valdria la profectio, y seria profecto desde el punto de la vtihabitacion. Hæc Villalobos, & ego. Vnde si in nostra Religione Præpositus detineatur aliquo impedimento in die, qua professionem aliquis ex nostris efficere debet, licentia illius non solum Vicarius, sed etiam quilibet vocalis, vel simplex Sacerdos ex nostris poterit inter Missarum solemniam dictam professionem recipere. Et hæc omnia contra Valerium procedunt, non solum in foro poli, sed etiam in foro fori.

RESOL. CLXXVIII.

An Superiores Religionum possint aliquem Clericum ad statum laicalem transferre? Et quid è contra? Ex p. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 75. alias 74.

§. 1. CUM casu discuteretur in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, de illo interrogatus respondi, docere negatiuam sententiam interrogatum in cap. Quando, quest. 22. num. 20. de Consecr. sac. dist. 1. quia Superior Religionis nequit Religiofo concedere facultatem transfundi ad laxiorem Religionem. At constat, statum laicorum esse laxiorem,

& minas perfectum. Et confirmatur: quia D. Thomas tra. & in fine ab omnibus receptus, 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2. docet ex Monachis arctioris vitæ (laicis tamen) licere transitum ad Canonicos Regulares, vbi Clerici futuri sunt, & non è contra. Quod Ordo Clericorum sit altior, iuxta illud D. Hieronymi ad Rusticum: Sic viue in Monasterio, vt Clericus esse merearis.

2. Veram affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, vt patet ex praxi; & idèd hoc supponunt, tanquam certum, Azorius tom. 1. lib. 50. cap. 69. 7. Sotus de inst. lib. 10. q. 5. art. 5. Aragon. in 2. 2. q. 83. art. 12. dub. 4. in 4. arg. Ledesma in Summa, tom. 2. tract. 9. c. 4. quibus adde Pellizarium in Manual. Regular. tom. 1. tract. 5. cap. 8. num. 69. & alios. Et ratio est: quia, vt optimè obseruat Sanchez in Summa, tom. 2. lib. 6. c. 7. num. 80. in tali casu nullatenus substantialis Religio nis status variatur; sed illæus manet; nec hic ad Religionem aliam transfertur; sed cum eisdem illiusmet numero Religionis votis, verus illius Religio nis alumnus manet. Præterea, quia etiam transfendi ad Religionem aliam laxiorem concedere potest licentiam Prælatus, nedum ad inferiorem quendam statum intra eandem Religionem; eò vel maxime quod, etsi humilior sit is laicorum status, & ad inferiora ministeria deputatus; est tamen diuor. & asperior; & iuxta maiorem, aut minorem austeritatem, pensandam esse puto maiorem, aut minorem Religio nis perfectionem quoad hunc transitum. Nec obstant in contrarium adducta; nam ad primum negatur antecedens, & esto, id esset verum, non est hic transitus ad laxiorem Religionem, vt explicuimus. Ad confirmationem respondeo, loqui D. Thomam de transitu ad aliam Religionem, & retenta sua doctrina, qua censet, maiorem Religionis perfectionem, quoad hunc transitum, attendi penes maiorem perfectionem in se, & ministerium, ad quæ deputatur; & non penes maiorem arctitudinem, cuius contrarium firmat Sanchez vbi sup. a. num. 21. Ergo, &c.

4. Sed supradictis obstat Decretum Clementis VIII. in Instit. super recep. & educat. Nouit. §. Tempore, in quo sic habetur: Si qui ad Conuersorum Habitum recepti fuerint; ad clericalem statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint. Ergo dicendum est, quod etiam neque Clerico ad statum laicalem transire licebit. Respondeo cum Bordonio in consil. Regul. tom. 2. resol. 54. n. 229. vbi sic ait: [Aduerte autem, quod qui ad Conuersorum Habitum recepti fuerunt, ad Clericorum statum transire non possunt, etiam durante tempore probationis, vt dicitur expressè in Instit. Nouit. §. Tempore verò. Clem. VIII. de transitu verò Clericorum ad statum laicalem, & Conuersorum, nihil dicitur: vnde Papa non videtur hunc prohibere transitum; negatio enim vnus est alterius inclusio, ex cap. Nonne de presumpt. & concessum censetur, quod non est expressè prohibitum, cap. Sunt nonnulli 25. 16. quest. 1. cap. Iam nunc. 7. 28. quest. 1. Hæc omnia Bordonus: ex quibus verbis aperte patet, posse Superiores transferre Clericum ad statum laicalem, neque Decretum Clem. VIII. excludit casum nostrum: nam Superior Religionis, ad quem spectat, non transtulit laicum ad statum clericalem, sed Clericum ad statum laicalem; quod Pontifex non prohibet, & vt dixi, praxis Religionum demonstrat, & communis Doctorem opinio confirmat, inter quos multi scripserunt post dictum Decretum Clementis. Ergo, &c.

Sup. hoc cū eodem Bordonio & alijs laicis supra in Ref. 152.

RESOL. CLXXIX.

An profectio in aliqua Religione emissa à laborantè morbo Gallico sit nulla, si hoc celauit in examine? K 4 Sed